

1400
*Michael
 Stenus Dux
 creatur.*

Michael Stenus Procurator Venerio successit, qui gravante morbo ad quartum idus Januarias in curiam ascendit, quum principio Decembris declarari contigisset. Nulli priorum Ducum majores a populo sunt honores habiti: omnes civitatis ordines quisque pro se ludos magnifice instructos in illius gratiam dedere: alii alia spectacula commenti: nullus festus dies toto fere anno fuit, quo civitas non novo aliquo occupata fuerit spectaculo. Fuisseque annus ille ocio & læticia mire insignis, nisi non expectata clades civium gaudia turbasset. Sub exitum autumni sex triremes peregrina merce onustæ, Leonardo Trivisano præfecto, domum veniebant: factum est ut circa insulas Ægei maris ad Irenem (quem locum corrupto nomine *Turinum* vocant) quatuor ex illis (quod raro antea acciderat) tempestate æctæ naufragium fecerint: pauci pro numero fractarum desiderati: res disjectæ laboriosissima cura receptæ sunt: Viara, Delphina, Superantia, & Sagreda concussæ: Cornaria, & Gradonica, vi maris superata, incolumes domum venerunt. Sequenti anno tres longæ naves domo sunt profectæ (earum duas Austriæ Dux, reliquam Carrarius Princeps, suo uterque nomine ornaverat) ad sororem Ladislai Regis, quem in regnum nuper restitutum Bonifacius Pontifex per Bartholomæum Julianum, Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, diadematè insigniverat, ex Appulo littore advehendam. Erat Regis soror ex Austrianis Ducibus uni matrimonio locata: sed illi paucis diebus, abnegata a Ladislao puella, domum rediere. Quidam annales habent, hoc anno Rubertum Imperatorem cum uxore Venetias venisse, ubi magnifico apparatu sit acceptus, magnisque munieribus donatus: sed quæ ejus accessus causa fuerit, annales, quos sequimur, non habent. Apud quosdam scriptores reperio, Rubertum a Galeacio in Cremonensi agro viatum, Tridentum omnibus fere copiis exutum, se trepide recepisse: reparato inde exercitu, Patavium profectum, mox ex continentí Venetias transiisse: ubi humanissime acceptus, ac multa familiariter apud Principem & Patres de Galeacii injuria que-

stus,